

aecclesiasticis obsequiis deputata ab omni inquietudine
 seorsum in proprio statu permaneant ad propriae
 administrationis sublementum nova edificentur, ac
 uetera quacumque occasione dilapsa ad laudem et
 5 gloriam nominis dei nostris temporibus ad qualita-
 tem prioris formae restaurentur. Quod non solum
 presentis uitae solacium, sed etiam futurae retri-
 bucionis fore credimus emolumentum. Qua propter
 uniuersitati fidelium nostrorum presentium ac futuro-
 10 rum patere uolumus quatenus Misnensis episcopus
 Eiko reclamatione facta nobis innotuit eandem aecce-
 siam cui ipse pastoralis cura ac titulatus presideret,
 jam peccatis exigentibus crebra hostium deuastatione
 desolatam ac pene ad nihilum ita fuisse redactam,
 15 ut nomine tantum solo praeesset, reliqua autem de
 rebus territoriis appertinencia ita ab hostibus fuisse
 direpta ut ordini ecclesiastico nec honor debitus aut
 utilitas aliqua diucius inde exhiberi potuisset. Quo
 audito ex debito condescensionis ingenuimus et pro
 20 his recuperandis aliquod supplementum conferre de-
 creuimus. Ideo, eidem praefatae aecclesiae sex villas
 nostrae proprietatis concedimus, quatuor in pago Dala-
 minci: Glupp, Disnouuocetla, Zenizi, Nuratinacethla,
 vnam in pago Gudici nomine Golencizacethla, vi in
 25 Niseni Brochotinacethla cum mancipiis utriusque sexus,
 silvis, uenationibus, aquis, aquarumue decursibus,
 piscationibus, molendinis, pratis, pascuis, edificiis,
 uiis et inuiis, exitibus et redditibus ac cum omnibus
 appertinenciis inquisitis seu inquirendis. Haec autem
 30 praedictae aecclesiae in proprium ea ratione tradi-
 dimus, ut episcopus Eiko ejusque successores eadem
 praedia aecclesiastico jure obtineant, et qualiter eis
 uisum fuerit in usus ejusdem ecclesiae uertendi libe-
 ram habeant facultatem. Et ut hoc nostrae conces-
 35 sionis donum per tempora futurae posteritatis stabile
 maneat et inconuulsum hanc regalis praecepti pagi-
 nam inde conscribi ac manu propria confirmantes
 sigillo nostro praecepimus insigniri.

40 Signum domini Heinrici regis inuictissimi. (Sigillum.)
 Guntherius cancellarius vice Erchambaldi archi-
 capellani recognouit.